

www.e-rara.ch

Dissertatio inauguralis medica de actione ventriculi et eius morbis

Burckhardt, Johann Heinrich

Basileae, [1749?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: Diss 55:1

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-73091>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



V. $\overline{V}$. 99.

DISSERTATIO INADGUALIS MEDICA
DE
ACTIONE
VENTRICULI
IN MORBIS.

DEO T. O. M. CLEMENTER ADVANTUM
ET DECRETO ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ILUSTRI ACADEMIA PATRIA

SUMMIS IN ARTE APOLLINEA
PRIVILEGIIS



PUBLICO ERUD. EXAMINI MODESTE

Diss 55

JOH. HEINR. BURCARDUS,


Phil. Licent.

Ad Public. Exam. in D. C. C. III.

U. L. G. T.

Basileæ.

Print. Typ. Joh. J. G. G. G.



1.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
ACTIONE
VENTRICULI
ET EJUS
MORBIS,

QUAM
DEO T. O. M. CLEMENTER ADJUVANTE
EX DECRETO ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIS ACADEMIA PATRIA
PRO
SUMMIS IN ARTE APOLLINEA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
rite ac legitime capeffendis
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI MODESTE
submittit

JOH. HENR. BURCARDUS,

Phil. Doct.

Ad diem 18. Novembr. M D CC XLIX.

H. L. Q. S.




BASILEÆ,

Typis Viduæ JOHANNIS CHRIST.

Catalog

VIRO
PLUR. REVERENDO LITERATISSIMO
FACUNDISSIMO
DOMINO DOMINO
THEODORO BURCARDO
PROTO-DIAcono PETRINO
LONGE MERITISSIMO
AVUNCULO SUO HONORATISSIMO
SUSCEPTORI QUONDAM EX SACRO FONTE
OMNI PIETATE COLENDO
SUSPICIUNDO



Differtationem hanc Inauguralem
qualemcunque

cum omnigenæ & veræ Felicitatis Voto

D. D. C.

Ejus ex Sorore Nepos, AUCTOR.



§. I.



Uotidiana edocemur experientia, corpus humanum aëre, cibo, & potu debito modo assumptis, nutriri, vigere, atque conservari; cum autem eadem hæc, quæ quotidie ingerimus alimenta & potulenta, tam diversæ, imò contrariæ & sæpe nocivæ efficacix atque indolis sint, non satis summam Divini Artificis admirari possumus sapientiam, qui machinam ita construxit, ut varia diversi generis, ratione structuræ ac functionis, viscera & humores in subsidium veniant, artificiosissimaque connexione unum alterius, planè mirabili modo, excipiat quasi officium atque adjuvet.

§. II.

Tali vero mechanismo fit, ut alimentorum partes corpori congruæ, atque nutritioni aptæ in nostram vertantur naturam, heterogeneæ autem, inutiles, & quæ hominem facile lædere possent, arceantur atque sub varia excretionis specie è corpore eliminentur.

§. III.

Cibis enim in ore detentis, masticationis ope, aëre, saliva, aliarumque glandularum humore intimè mistis & subactis, sicque idoneis redditis ad aliam subeundam mutationem, præstò est Ventriculus, qui eos unà cum potu, deglutitionis ope recipiens, actione propria tunicæ muscularis, vario fibrarum carnearum (inferius explicandarum) strato contextæ, ulterius coquit, ac tandem in massam fluidam chylosam solvit, multùm interim hanc operationem adjuvante ipso calore & agitatione perpetua partium vicinarum Ventriculi, nec non liquore gastrico, cæterisque humoribus jugiter affluentibus.

§. IV.

Materies hæc deinde sic præparata, sensimque per janitorum pylorum in duodenum expressa novam iterum experitur hæc & in reliquis intestinis mutationem, etenim bilis utraque, & succus pancreaticus per suos ductus, singulari mechanismo obliquè sese inferentes, hic effusus, nec non reliquarum glandularum intestinalium liquida chylo miscentur, qui magis magisque elaboratus, atque humoribus corporis nostri adaptatus, motu intestinorum peristaltico oscula vasorum lacteorum, quibus jejunum præ cæteris refertum conspicitur, intrat, & eadem causa permanente, vi novi iterum à tergo subsequenter chyli, contra-

contractione aliquali tunicæ vasorum lacteorum muscularis, motu & pressione partium vicinarum, adminiculo quoque valvularum ulterius per vasa lactea, primi & secundi generis, glandulasque mesenterii intermedias promovetur, donec tandem ad cisternam lumbarem delatus, & lymphâ admodum dilutus per ductum thoracicum peculiari mechanismo ad sanguinem devehitur.

§. V.

Quomodo autem corpus nostrum præservetur à varii generis injuriis, sive morbis ratione alimentorum, quæ non unius ejusdemque, sed planè diversæ sunt indolis, quibus utimur, facile apparet ratio, quando consideramus structuram œsophagi, Ventriculi ac intestinorum, imprimis si attendamus ad exilitatem atque angustias osculorum lacteorum valde contractilium, eorumque obliquam in cavum intestinorum aperturam, & ad attactum corpusculorum in chylo acrium facilem ac consuetam contractionem, quo singulari planè artificio partes alimentorum hæterogeneæ, crassiores, solidiores, acres aliove modo ad succum nutritium constituendum ineptæ ab introitu in vasa lactea excluduntur, ac per totum intestinorum tractum in rectum propulsæ, ibique collectæ suo demum tempore alvo ejiciuntur; ut nihil jam dicam de excretionibus, quæ fiunt per renes & vesicam urinariam, poros cutis, in sexu sequiori per uterum, &c. quæ omnia abunde satis docent, quam provida in avertendo omnis generis malo à corpore nostro sit natura.

§. VI.

Quum vero hisce, quæ modo diximus, diutius immorari non sit animus, revertamur ad Ventriculum, cujus Actionem, b. c. Deo, quantum tempus & vires permittunt, in me suscepi

tractandam, qua exposita, Affectiones Ventriculi morbosæ breviter indicari possunt; integra namque earum historia longior foret, quam ut artis Dissertationis inauguralis limitibus comprehendi posset. Ut verò omnia melius demonstrari, atque intelligi queant, præmittere convenit Ventriculi expositionem anatomicam.

§. VII.

Ventriculus itaque inter organa ac partes chylicationis alienum musculofo-membranaceum, alimenta ac potulenta suo modo in ore prius mutata, per deglutitionem recipiens, aliquamdiu retinens ac coquens, est viscus abdominis cavum, oblongum, incurvatum, extremitate, quæ terminatur in latere sinistro, gaudens ampla, crassa, in latere autem dextro arcata, ita ut ipsius Ventriculi figura non incongruè ab Anatomicis comparatur cum utriculo luforio, eoque magis, si aëre aliove fluido modice distentus fuerit; interim capacitatis est fatis magnæ; quod vero concernit ipsius situm, recentiores Anatomicorum tradunt obliquè positum inter hepar & lienem, partim in hypochondrio sinistro, partim epigastrio; & quidem major Ventriculi extremitas, quæ est in hypochondrio sinistro, immediate ponitur sub diaphragmate, minor vero obliquè incurvatur ab anterioribus ad posteriora, versus orificium superius. Porro Ventriculi curvatura binos efformat arcus: majorem, qui totam comprehendit convexam longitudinem inferiorem, quæ cum vicinis fundum audit; minorem vero, huic directè oppositum; partes intermediæ vocantur superficies, vel latera; antèrius, & posterius.

§. VIII.

Partibus externis Ventriculi adnumerari quoque debent duo orificia; sinistrum atque dextrum; illud inter extremitatem crassam & arcum minorem, incumbit ferè mediæ parti ultimarum vertebrarum dorfi, & venit nomine orificii superioris, si-
ve cardias, cujus continuata pars sursumque directâ vocatur œsophagus, si-
ve gula; hoc, scilicet dextrum, simulque inferius & magis antrorsum spectans nomine pylori, duos circiter trans-
versos digitos distans à corpore vertebrarum, immediatè sub parvo lobo hepatis jungitur cum duodeno.

§. IX.

Internam quod attinet structuram & compositionem, Ventriculus variis constat tunicis; quarum prima & quidem externa, communis, totum Ventriculum ambiens, est membranacea & producit à peritonæo, quod manifestè conspicitur conjunctione orificii superioris cum diaphragmate; tunica hæc subjacentem sibi-
que fortiter adhærentem habet telam cellulosam, quæ sese insinuando fibris muscularibus, ad tertiam usque pertingit; quoniam vero hæc tela potest considerari tanquam pars tuni-
cæ membranacæ, non opus erit, ut ei proprium assignemus numerum. Secunda, quæ est musculosa, variis componitur fibrarum stratis, quæ commodè ab Anatomicis reducuntur ad duas præcipuè portiones, externam scilicet, & internam; illius fibræ, quæ dicuntur longitudinales, ab ipso œsophago per omnem Ventriculi ambitum ad pylorum usque secundum ipsius longitudinem feruntur; internæ vero, fortiores externis, circulares dictæ (quamvis segmenta potius circulorum sint, quæ per intervalla conjunguntur (a)) à superioribus versus inferiora obli-

(a) Winslow Exposit. Anatom. Tom. III p 312 §. 58. Haller. Vol. I. Prælect. Academic. Boerhaav. §. 81. not. 3. pag. 234.

obliquè Ventriculū ambiunt; præterea alius fibrarum fasciculus in portionem externam propagatus cernitur, qui ponitur secundū longitudinem arcus minoris; deinde inter portionem externam & internam, circa orificium superius bina fibrarum strata & valde oblique posita implicantur huic orificio, seque invicem decussantes, ad latera disperguntur. Tertia, quæ nervosa vel vasculosa dicitur, constat textura intricatissima, reticulari, firmior & quasi fundamentum villosæ, innumeram sustinet ac fulcit vasorum capillarium nervorumque distributionem in parte convexa, concava autem, quæ valde laxa & quasi spongiosa cernitur, plurima corpuscula graniformia, præsertim circa extremitatem pylori, & à latere arcus minoris involvuntur, quæ glandulæ esse existimantur, unde alii glandulosam vocarunt hanc tunicam. Quarta denique Ventriculi tunica, villosa, omnium tenerrima & innumeris pertusa foraminulis, quæ fortè maximam partem respondent corpusculis graniformibus, stillat succum in cavum Ventriculi, qui vocatur liquor gastricus; hæc tunica cum incumbente nervosa majorem cæteris habet extensionem, qua mediante variæ producuntur rugæ in cavo Ventriculi, quæ maximam partem obliquè, quanquam sæpius quodammodò deflectentes, eminent; sunt etiam longitudinales, priores decussantes; pylorum versus omnes evadunt longitudinales ibique terminantur; orificium autem superius, ubi majorem crassitiem nactæ rugis oesophagi occurrunt, cingunt coronæ in speciem. Notandum insuper est, in superficie interna minoris extremitatis Ventriculi, ea regione, quā jungitur duodeno, oram prominentem circularem, quæ efformatur à binis tunicis interioribus, nervosa scilicet & villosa, partim etiam fasciculo circulari fibrarum carnearum, in medio circuitus relinquere aperturam, quæ vocatur pylorus, estque orificium Ventri-

Ventriculi inferius, cujus figura similis apparet annulo oblique
versus centrum cavitatis complanato.

§. X.

Nunc in contemplationem veniunt vasorum distributiones,
quarum magna copia gaudet Ventriculus; & primò quidem
arteriarum, quæ originem ducunt à cœliaca, mediante inpr-
mis arteriæ hepaticæ, splenicæ & coronariæ, quanquam etiam
pylorica & mesenterica superior, &c. cum hisce communicent,
præcipuæ autem Ventriculi arteriæ sunt: coronaria stomachica,
quæ procedit secundum longitudinem arcus Ventriculi minoris,
& gastricæ duæ, major sive sinistra, & minor dextra, quæ am-
bæ simul efficiunt canalem unum continuum sive gastricam com-
munem, quæ majorem occupat arcum, quemadmodum etiam
coronaria stomachica continuatur cum pylorica. Omnes hæ arteriæ,
innumeris suis ramificationibus atque anastomosibus totam Ven-
triculi substantiam perreptantes, bina formant retia, quorum
crassius interjacet tunicam externam, & muscularem, ibique su-
stinetur tela cellulosa, alterum vero tenerrimum incumbit tu-
nicæ, quæ vocatur nervosa. Injectionibus adhuc tertium, quod
omnium longè subtilissimum, detegitur inter corpuscula grani-
formia & papillas tunicæ villosæ, quæ vascula ob stupendam
ipforum exilitatem transitum sanguini rubro non concedere vi-
dentur. (b) Arteriarum Ventriculi comites sunt venæ, gastricæ
dictæ, quæ easdem ferè cum arteriis ramificationes & anastomo-
ses efficiunt; communem ducunt originem à vena portarum;
speciatim vero à mesenterica majori, splenica & quoque hæmorr-
hoidali interna, præter alias nonnullas, quæ ex liene oriuntur,

B

& ver-

(b) Winslow pag. 316. §. 75.

& versus majorem Ventriculi extremitatem exporrectæ, nomine vasorum brevium venire solent.

§. XI.

Ob singularem plane quem habet consensum Ventriculus cum omnibus ferè corporis partibus, maximam merentur attentionem nervi prospicientes huic visceri, qui admodum insignes oriuntur ex pari octavo & intercostali; illud originem habet ex parte posteriori medullæ oblongatæ & anteriori eminentiarum pyramidalium, pluribus à se invicem distinctis filamentis, quæ mox coacta in fasciculum, cui in itinere alius spinalis medullæ nervus, accessorius nempè Willisii jungitur, per foramen lacerum ossis sphenoidæ, indutâ piâ & durâ matre, ante finem sinus lateralis communi trunco egrediuntur, post egressum vero è cranio, spinalis iterum à vago discedens ad posteriora reflectitur, & perforans musculus sternomastoideum terminatur tandem in musculo trapezio sive cucullari. Par vagum primò ramulos largitur musculis ossis hyoidis, linguæ ac faucium, qui ibidem cum extremitatibus nervi tertii rami quinti paræ, nec minus noni paræ concurrunt, deinde truncus vagi, arcuè agglutinatus in uno latere primo ganglio nervi intercostalis, in altero verò pari nono, ramulum emittit, qui fertur per plura filamenta ad pharyngem; paulo inferius idem truncus efficit speciem ganglii, & dimittit ramum, qui ante arteriam carotidem internam decurrens abit ad musculos laryngis, ossis hyoidæ, glandulamque thyroideam, ibique cum extremitatibus nervi recurrentis habet communicationem; truncus deindè secundum longitudinem musculorum colli inter arteriam carotidem, & venam jugularem internam, sociatus ferè nervo intercostali ad ultimam usque vertebra colli descendit, ramulosque impendit parti-

partibus vicinis, œsophago, nec minus arteriæ carotidi & venæ jugulari; alium insuper emittit ramum, qui junctus filamento secundi ganglii nervi intercostalis unà cum eo abit ad plexum pulmonalem; ambo deinde trunci ante originem arteriarum subclaviarum, easque decussantes ingrediuntur pectus, & pone pulmones pertingunt ad ipsum œsophagum, ubi quilibet notabilem dimittit ramum, qui utrinque à latere arteriæ asperæ secundum ipsius longitudinem iterum ascendunt, & musculis laryngis, pharyngis, glandulæque thyroideæ ramulos impertiri solent, qui nervi nuncupantur recurrentes. Iidem trunci juxta arteriam asperam ulterius descendunt, & mutuís ramificationibus suis atque communicationibus, quas habent cum ramulis nervi intercostalis, efficiunt plexus: unum, cardiacum, qui formatur supra pulmones & ante bronchia, cujus ramuli quamplurimi partim ad pericardium, partim verò ad vasa cordis abeunt; alterum, pulmonalem, cujus ramuli distribuuntur per pulmones. Infra hos plexus ambo hi trunci, & quidem dexter magis magisque retrorsum, sinister verò contrario modo se habens descendere pergunt, suosque ramulos circa œsophagum mutuò jungentes, binos tandem producant insignes nervos, qui cum œsophago transeuntes diaphragma distribuuntur in plures ramulos super Ventriculum, & vocantur stomachici, qui iidem concurrentes & uniti, præcipuè circa orificium Ventriculi superius, atque secundum longitudinem arcus minoris ad pylorum usque, tertium efformant plexum, quem coronarium stomachicum vocant, ex quo duo minores rami oriuntur, qui versus truncum arteriæ hepaticæ uniti, ipsamque paulum comitantes iterum à se invicem secedunt, tendentes ad utrumque ganglion semilunare nervi intercostalis, quorum ramuli inter

se & stōmachicos juncti alios adhuc efficiunt plexus , qui sunt : hepaticus , splenicus , mesenterici atque renales.

§. XII.

Cognita Ventriculi structura , haud difficile erit , ipsius quamvis multiplicem intelligere Actionem , etenim si consideramus Ventriculum , quatenus est vas clausum , calidum & humidum , facile apparebit , alimenta ipsi commissa atque eo inclusa , calore humido ita affici , ut tandem penitus liquecant , & sponte sua pro diversa alimentorum indole fermentescere vel putrescere inciperent , miroque modo vel in acescentem , vel alcaliscentem , rancidam vel glutinosam denique transmutarentur massam. Insignem vero caloris in vase clauso efficaciam inter alia comprobant experimenta , quæ beneficio machinæ Papinianæ corpora etiam durissima , ut v. gr. ossa , ipsumque ebur nobis exhibent emollita ; ita ut primo intuitu non tam absurda veterum videatur opinio , quam quidem multi crediderunt : Ventriculum nempe solo calore cibos concoquere.

§. XIII.

Contrarium vero hujus sententiæ demonstrant humores diversæ naturæ , magnæque copiâ hic loci secreti atque allati ; si enim attendimus ad superficiem tunica villosâ amplissimam , vasorumque quantitatem , facile inde concluditur : Ventriculum abundare liquore gastrico. Confirmant hoc zootomia & experimenta in animalibus brutis instituta , v. gr. si aperiatur canis vivi Ventriculus , reperietur tota interna superficies lubrica , & si deinde abstergatur , sub manibus mador ex innumerabilibus porulis renascetur. (c) Accedit & hoc experimentum , nempe quod

(c) Wepfer. de Cicut. aquat. c. VIII. p. 80.

quod à morte etiam adeò facile depluat, ut ad octavam diem mucum Ventriculi absterfum repullulare viderit modo allegatus Wepferus. (d)

§. XIV.

Magna equidem liquoris gastrici concoquendi cibos efficacia egregie adjuvatur liquore salivali, qui sat magnâ copîâ secretus in ore, cibis potibusque permixtus in Ventriculum descendit. Observationes enim docent, una die uncias circiter duodecim secerni. Hæc autem secretio pro sexu, ætate, temperamento, consuetudine, tempore &c. variis, notabilem admittit differentiam. Insignem verò liquoris salivalis virtutem in solvendis cibis probat analysi chemica, nec minus ipsa experientia, simulac debita copia salivæ deficit, non solum læditur atque turbatur paulatim manducatio, deglutitio, concoctio, sed & mira exinde tandem producuntur mala, exempli gr. bilis atra, tabes, ἀρροφία, &c. (e) uti liquet ex pathologicis. Porro salivæ necessitatem, atque virtutem in solvendis cibis confirmat convenientia structuræ & secretionis in animalibus. In avibus, cæterisque animalibus non dentatis natura prospexit de peculiari fabrica, quâ ad finem œsophagi saliva secernitur. Nemo itaque hisce humoribus, modo si cognitam habeat eorum naturam atque indolem, facile denegabit maximam in dissolvendis cibis virtutem atque utilitatem. Notum insuper est, multos homines, inprimis verò mulieres, virgines, puellas ferè nihil & admodum parcè bibentes nihilominus feliciter digerere alimenta, etiamsi exsucca, crustas nempè panis, farinacea, di-

B 3

versu

(d) p. 123.

(e) Boerhaav. Inst. §. 772.

versî generis panificia, aliaque id genus plura, cujus nulla alia videtur subesse ratio, quam quod à saliva reliquisque liquidis affusis præstetur omnis effectus, qui ad macerationem & dissolutionem requiritur; hæc sententia confirmatur analogia similis humoris in animalibus voracissimis, Falconibus & Aquilis reperi, quarum Ventriculi post longam inediam aperti exhibuerunt blandum salis marini sapore liquidum, notante celeberr. Boerhaavio. (f) Nec desunt plurima alia exempla; præ cæteris vero hoc notatu dignum occurrit: in Ventriculo nempe Camelorum aquam diu incorruptam servari, atque eam Nigritas, si quando siti premuntur per desertum iter facientes absque noxa rescisso animalis ventre potitare. (g)

§. XV.

Cum vero horum humorum vires non sufficiant ad subigendos cibos solidiores, tenaciores, firmitusque cohærentes, præsertim si minus vel planè non in ore manducationis vires experti, vel avidissime majori copia devorati fuerint, alia succurrere debet operatio, motus nempe Ventriculi muscularis. Quando enim omnes fibræ simul agunt, clauduntur orificia, nullumque relinquitur spatium, quod non experiatur contractionis vim; facile autem concipitur, si probè attendatur ad omnium fibrarum varias directiones, longitudinales, circulares, obliquas, rectas: Ventriculum circumquaque valide constringi, ipsius itaque contenta ipsum distendentia, sicque nova contractionis causa facta, premi, atteri, misceri, motui etiam exponi partium ambientium, multum interim contritum huncce adjuvantibus rugis tunicæ villosæ, in quibus ingesta moram patiuntur debitam,

(f) Prælect. Academ. Vol. I. pag. 220.

(g) Labat. It. Afr. occid. l. 299.

tam , fibris verò muscularibus oleum suppeditante tunica cellulosa , ut sine incommodo in sua persistere possint actione , motu deinde vermiculari sive peristaltico fluidiora , in cineream redacta materiem , sensim per pylorum in duodenum expelli , partes vero alimentorum residuas eadem Ventriculi actione permanente eadem pati , donec tandem fatis mutatae promiscue è Ventriculo expellantur.

§. XVI.

Mirum vero in modum , Actio muscularis Ventriculi juvatur perpetua compressione & reactione peritonæi per diaphragma & musculos abdominales ; illud enim , quando in inspiratione abdomen versus explanatur , Ventriculum deorsum & simul antrorsum , in expiratione vero musculis abdominalibus agentibus , tanquam prioris motus antagonists , sursum & retrorsum premit & agitat ; cum autem hæc actio sit reciproca , & nunquam cesset in vita ; sequitur inde , maximum ipsius esse effectum in Ventriculum & hujus contenta , eoque magis , quo magis à cibis distenditur & vi externæ resistit . Cibus ergo hoc modo perpetuo agitari , atteri , & tandem in minimas dissolvi particulas , manifestum est . Maximam vero diaphragmatis vim ostendunt vulnera muscutorum abdominis , quando enim illi notabiliter sunt læsi , vel plane discissi , protinus abdomen magno nixu extrorsum premitur , & viscera in vulnus erumpunt.

§. XVII.

Suum quoque ad Actionem Ventriculi facilitandam atque promovendam contribuant tam innumerabilium Ventriculo circumpositarum arteriarum , haud parvæ magnitudinis , ictus innumeris ,

numeri, motu enim systolico dum contrahuntur, utique latera Ventriculi arctantur, & consequenter cibi subjecti undique agitantur; motu vero diastolico dum dilatantur, latera Ventriculi sese restitunt, & novæ iterum exponuntur systolæ; qui motus cum sit reciprocus atque perennis maneat, utique patet, non parvi æstimandum esse effectum in Ventriculum ejusque cibos, imprimis cum accedat vis aortæ, quæ maxima perhibetur, & unius tantum horæ spatio plusquam ter millies observatur, ea enim ante vertebrae dorfi posita, Ventriculum, musculis abdominalibus versus posteriora cedentibus, validissimè repellit.

§. XVIII.

Deinde admodum quoque probabile videtur, liquidum nerveum in Ventriculo magna quantitate fecerni, & cibis affusum insignem præstare effectum. Cum enim omnium fluidorum sit longè subtilissimum atque mobilissimum, hinc omnes corporis nostri humores vi solvente ac volatilifante antecellere nobis persuadet ratio. Probabilitatem verò secretionis hujus liquidi nervei haurimus ex innumeris ferè nervis, qui Ventriculo implicantur, atque per eum distribuuntur; longè enim plures nervos ad Ventriculum abire, quam ad hepar viscus istud multo ponderosius, aut diaphragma, adeo validi motus instrumentum, innuit celeberr. Hallerus. (h)

§. XIX.

Ultimò tandem loco notamus, calorem partium & viscerum ambientium, cordis, hepatis, &c. multum quoque ad ciborum concoctionem & digestionem conferre; nam quemadmodum

de ca-

(h) Inst. Med. pag. 254. not. 11.

de calore interno ejusque effectu in cibos jam supra (§. XII.) dictum est, ita quoque erit effectus caloris admittendus ratione partium vicinarum, quarum respectu ipse Ventriculus quasi in perpetuo balneo vaporis existit.

§. XX.

Instituti ratio nunc exigit, ut progrediamur ad Morbos præcipuos, qui Ventriculum infestare solent, quorum brevem & generalem tantum explicationem tradere animus est. Multos vero magnosque in horum censum venire unanimi medicorum consensu comprobatum est, perspecta enim visceris hujus structura & functione, facile quisque huic sententiæ subscribere inducitur. Ratione autem structuræ, cum viscus sit membranaceo-musculosum, & variis compositum tunicis, mira quoque & innumera ferè omnis generis vasorum, arteriosorum, venosorum, nec minus nervosorum congerie conflatum, utique patet, omnes hæc partes Ventriculum constituentes, & in unam conspirantes actionem diversimodè lædi posse; quippe Ventriculus cum perpetuo motu peristaltico agitur, mirè in hac actione offendi potest, ut varia inde sequantur mala, v. gr. nausea, vomitus, cardialgia; respectu vero vasorum, stagnationes, tumores, inflammationes, scirrhi, &c. ratione denique functionis læsæ, omnis generis cruditates, aliaque id genus mala quamplurima.

§. XXI.

Quum igitur ex his Ventriculi morbis, ipsius inflammatio in numerum eorum cadat, qui magis funesti esse solent, eademque mirum in modum actionem ejus, tanquam partis, quæ exquisitissimæ est sensationis, & insuper cum toto ferè corpore in-

signem alit consensum, perturbare possit, imò hominem plerumque perire sinat, merito ab hac ordimur & talem describimus: quod sit affectus gravis, partes Ventriculi membranaceo-musculosas affligens, cum tumore, dolore (i), ac febris acuta continua stipatus, simulque universum systema nervosum in consensum rapiens, eaque de causa malum judicatur periculi plenum. Inter inflammationis hujus symptomata sive signa pathognomonica recenferi debent: dolor ardens, fixus in ipso stomachi loco, cum summa atque perpetua circa præcordia anxietate & corporis jactationibus, porro febris cum siti magna; præterea singularis adest cum summo dolore vomendi conatus, vel vomitus ipse, maximè cum aliquid Ventriculo ingeratur, accedunt etiam subinde singultus, qui pessimæ sunt notæ, uti jam notavit Hippocr. (k) ἐπὶ ἐμέτῳ λυγρῷ, κακόν: à vomitu singultus, malum. Maximè autem si accedat delirium, crebraque animi defectio, & præter hæc extremæ membrorum partes inalgescant, cum sudore frigido, & facie Hippocratica, quæ symptomata mortis appropinquantis signum præbent, idem indicantibus his verbis (l): οἱ ψυχροὶ ἰδρώτες, ζῶν μὲν ὀξείῃ πυρετῷ γινόμενοι, θάνατον σημαίνει: sudores frigidi, cum acuta quidem febre evenientes, mortem significant. Et alio loco (m): προσώπῃ διαφθορῇ, θανάσιμον: Faciei corruptela letalis est. Distinguitur hic morbus in idiopathicum, & primarium, vel symptomaticum, & secundarium, qui aliis morbis supervenit, & plurimum pesti, variolis &c. est socius.

§. XXII.

Cum vero in inflammatione Ventriculi, & cardialgia quædam

(i) Celf. l. IV. c. V. § 4.

(k) Aphor. 3. Sect. VII.

(l) Aphor. 37. Sect. IV.

(m) Coac. Prænot. 212.

dam observetur similitudo ratione quorundam symptomatum, quibus inter se conveniunt, monendum hoc loco est, in hoc tamen differre hos morbos, quod deficiat in cardialgia febris, minori quoque gradu adsit in Ventriculi regione ardor summus, melius deinde ferri possint à Ventriculo ingesta in ipsum, sive alimenta fuerint, sive medicamenta, denique etiam minus vehemens symptomatum fiat accessio.

§. XXIII.

Quod Ætiologiam spectat & quidem causam proximam, hæc consistit in sanguinis stagnatione canalium minimorum Ventriculi, quæ duplici ex causa contingere potest: una nimirum, quando ultimæ vasorum angustia à lentis, viscosis & crassis sanguinis particulis obstruuntur, altera vero, quando vasa subtilissima capillaria præter naturam arctantur, & spastica strictura, fibrillas nerveas irritante, angustantur, vel penitus occluduntur.

§. XXIV.

Inter causas verò procatacticas, cum dentur ferè innumera, merito recensendæ erunt eæ, quæ præ cæteris Ventriculo funestæ solent evadere, eumque ad inflammationem suscipiendam aptum reddere queunt. Sunt vero ex parte animi, æque ac corporis, violentæ ejus commotiones; irâ, sæpius læthalem Ventriculi inflammationem subortam esse apud Practicos constat, præcipuè cum statim potus nimis frigidus superingestus fuerit; porro inflammationi Ventriculi facile viam pandunt acriora illa vomitoria atque purgantia, quæ spasms teneras Ventriculi fibrillas irritando eandem producant, & jam præsentem magis adhuc exacerbare solent, uti multa hujus rei apud Practicos lu-

culenta prostant exempla. Huc pertinent quoque venena, tam externa, inter quæ primum eminet arsenicum; quam interna quæ in ipso generantur corpore, & eandem cum externis exerunt efficaciam, sive vehementiam ac nocendi celeritatem, sive ipsa symptomata ac signa, quæ cum illis habent communia, consideremus, ut apparet v. gr. in peste, quæ hominem non alio modo tam celerrimè trucidat, quam concitando spasmos virulenta atque corrosiva materia, ex quibus deinde oritur inflammatio. Observationes quoque docent vermes quandoque in causa hujus affectus fuisse, qui post mortem reperti fuere in Ventriculo. Notandum insuper est, bilem etiam in vesicula retentam, sive ob calculum, sive ob spasmum, ductum ipsius obturantem vel constringentem, sæpius prognerare posse inflammationem.

§. XXV.

Paucis nunc videamus, quæ spectant ad Prognosin; hanc vero variam esse formandam pro diversitate subjectorum, ætatis, causarum, symptomatum aliarumque circumstantiarum, nemo inficias ibit. In genere autem dicendum est, sæpius plurimum periculi hunc morbum alere, præsertim cum paulò altius radices egerit, & brevi plerumque, ni subito curetur, lethalem fieri ob læsam necessariam functionem & infinitos nervos connexos (n). Maximè autem omnium hoc morbo laborantes periclitari eos certum est, qui sunt ætatis provectioris, constitutionis corporis debilis vel scorbuticæ, item quorum corporis habitus spongiosus est atque laxus, vasa exilia ac copiosa, & qui magna succorum gaudent abundantia; quo spectat etiam ea copia,

(n) Boerhaave in aphorism. pract. §. 952.

copia, quæ provenit in foeminis ex menstruorum suppressione, vel omiffa V. S. alias celebrata in iis qui lautiori vivendi genere delectantur.

§. XXVI.

Quod attinet curationem hujus mali, hæc non semper una eademque requiritur, sed prudentis Medici erit, diligenter omnes causas inquirere & probè perspectas habere, ut pro diversitate earum auxilia, remediorumque genera genio morbi congrua, applicare eoque feliciter curam absolvere queat, quæ duabus hisce potissimum nititur indicationibus, una nimirum, ut obstructions, humorum lentorem atque viscositatem infringendo, referantur; altera verò, ut spasmos sedando, sanguinis & humorum circulus restitutus æqualis conservetur. Si vero omnia, quæ in arte habentur in cassum adhibeantur, & inflammatio in gangrænam & sphacelum, quæ partem inflammata perfectâ morte destruunt, abeat, de ægro actum esse certum est.

§. XXVII.

Inter graves quoque Ventriculi afflictiones merito recensenda erit hæc quæ cardialgiæ nomine venit, eaque cognoscitur ingenti anxietate præcordiorum cum acuto gravativo & ferè intolerabili Ventriculi ejusque præcipue orificiorum dolore, respirandi difficultate, viriumque prostratione, inquietudine, conatu vomendi, vel ipso vomitu; accedit animi deliquium cum extremarum partium frigore. Affectus iste dolorificus diutius persistens totum nervorum systema secum in consensum rapit.

§. XXVIII.

Alia vero cardialgiæ species, quæ vocatur spuria, vel flatulenta,

tulenta, distinguitur à priori, quæ vera vel spasmodica audit, quod nempe hæc à flatibus incarceratis, Ventriculum mirè distendentibus oriatur, hujusque dolor non sit acutus, major vero spirandi difficultas ob impeditum liberum diaphragmatis descensum cum apparente tumore aliquali.

§. XXIX.

Variam itaque pro diversa cardialgiæ causa, ejusque natura, instituendam esse horum morborum curationem, facile nobis persuadet ratio; quippe cardialgiæ, quæ debetur spasmis, optimè medentur remedia, quæ partes constrictas relaxant, & materiem vitiosam atque circa Ventriculum hærentem temperant, corrigunt & per congrua evacuantia à corpore removent. Tonus vero & robur Ventriculi à doloribus & spasmis labefactati aptis restituatur remediis.

§. XXX.

Non eadem autem requiritur cura, si cardialgia erit flatulenta, tunc enim in usum vocanda, quæ flatus discutiunt, & alimentorum minus benè digestorum, sive humorum corruptam indolem planè immutant, vel si res postulaverit, vomitu ejiciunt. Alia vero rei erit conditio, quando cardialgia alii morbo, quod sæpius contingere solet, supervenit, tunc sine dubio morbi primarii erit habenda ratio.

§. XXXI.

Porrò quum Ventriculus sit adeo exquisitæ sensationis viscus, non mirandum, frequentius illum vexari nausea, quæ irritus est vomendi conatus, cum idea horroris, omnisque cibi & potus averfatione, proveniens ex irritatione, sed leviori fibrarum muscu-

muscularium faucium, œsophagi atque ipsius Ventriculi. Jungitur quandoque oris amarities & halitus putris, ob bilem majori copia in Ventriculo hærentem, atque in putredinem vergentem.

§. XXXII.

Generales hujus Morbi indicationes curatoria eo tendunt, ut motus naturalis partium afflictarum restituatur, & spasmi sedentur, causæ vero huc contribuentes removeantur. Si per consensum, quod frequenter fit, v. gr. ex calculo renum, aliove morbo excitetur nausea, tunc pro eorum discrimine varia quoque erit medendi methodus.

§. XXXIII.

Huic quem modo recensuimus morbo valde affinis est, imò tantum gradu differre videtur, ipse nempe vomitus, qui est subita & violenta contentorum Ventriculi per os expulsio, propter motum peristalticum inversum ex irritatione spasmodica fibrarum muscularium, faucium, œsophagi, Ventriculi & intestinorum, accedente simul convulsione valida muscutorum abdominis, & diaphragmatis. Pro varia quoque excretionis materia, variis insigniri solet vomitus nominibus, siquidem observationes docent, bilem, pituitam, pus, ichorem, imò & sanguinem &c. vomitu, qui tunc cruentus dicitur, rejecta fuisse. Quemadmodum nausea, ita etiam hic affectus dividitur in idiopathicum & symptomaticum, eandemque cum illa, ab iisdem causis, sed gravioribus ortus, agnoscit curam.

§. XXXIV.

Ex innumeris ferè, quibus Ventriculus patet ægritudinibus,
ob fun-

ob functionem necessariam, ejusque structuram nerveam, non infimum locum tenent ipsius abscessus & ulcus, quando nimirum ex inflammationis transitu in suppurationem, aliâve causâ materies purulenta intra partes membranaceas colligitur non sine ingenti sæpe dolore, aucto quoque caloris gradu, variisque aliis sat gravibus symptomatibus, vel pure factò, materies è ruptis membranis effluit in cavum Ventriculi sive abdominis, ejusque symptomata iterùm minuuntur, ut pulchre monet Hippocr. inquitens (o): *περὶ τὰς γενέσεις τῆ πύκ, οἱ πόνοι, καὶ οἱ πυρετοὶ ξυμβαίνεισι μᾶλλον, ἢ γενομένῃς*: circa puris generationes, dolores, & febres magis accidunt, quam pure factò. In curatione omni molimine eò est adnitendum, ut quamprimum abscessus maturetur atque emolliatur, puris deinde cocti exitus promoveatur, tandemque ulcus depuratum consolidetur.

§. XXXV.

Scirrhus, ut plurimum inflammationis soboles, quemadmodum cæteras corporis partes glandulosas, ita quoque in Ventriculum, ob structuram glandulosam, ut observationes docent, sævitiam suam exercere valet, plerumque fatalem post se trahens exitum. Est autem scirrhus tumor durus, indolens, glandulæ, cujus origo debetur coagulationi, inspissationi vel exsiccationi succi glandulosi. Licet vero scirri Ventriculum occupantis præsentia haud æquè facile ac in externis corporis partibus cognoscatur, cum hæc phænomena modò recensita in sensus non cadant, attamen ex visceris læsa atque turbata functione, aliisque simul concurrentibus signis sive effectibus ad hujus mali præsentiam concludere licebit. Ad hunc morbum oppu-

(o) Aphorism. 47. Sect. II.

oppugnandum, si scirrhus recens, benignus & quædam resolutionis spes supersit, conducere poterunt emollientia, & resolutiva, eaque quæ scirrhi materiam attenuare atque incidere valent, si vero malignus fieri inceperit, tunc frustra medelapatur, & sola tunc anodyna, & motum sedantia conveniunt (p).

§. XXXVI.

Plurima adhuc & infinita ferè observantur mala, siue incommoda Ventriculi, ratione diversorum humorum æquè ac ingestorum. Utraque enim dum diversimode corrumpuntur, & à natura sua degenerant, siue qualitate & quantitate peccant, causæ evadere possunt appetitus vario modo vel defectu vel excessu depravati, exempli gr. δυσροξίας, ἀνορεξίας, ἀποστίας, famis auctæ, caninæ, vel bovinæ &c. aliorum inde pendentium morborum fontis, v. gr. ructus & flatus, omnis generis cruditatium, febrium, ardoris, erosionis &c. quibus molestiis mederi possumus, humoris prædominantis noxiam & depravatam indolem corrigendo & temperando, tonumque ac robur Ventriculi restituendo.

§. XXXVII.

Paucis tandem meminisse sufficiet ipsius quoque Ventriculi vulneris, quod est soluta cohæsió membranaceo-musculosæ substantiæ, à variis generis instrumentis duris ab extrinsecus vel ab intus, quod rarius, hoc viscus lædentibus, variis subsequentibus pro conditione vulneris symptomatibus, v. gr. hæmorrhagia, dolore, spasmo, singultu &c. Curatur vulnus auferendo causam vulnérantem, & depurato loco à particulis heterogeneis,

D

partes

partes separatas uniendo & in situ naturali retinendo, ratione quoque habita pro re nata symptomatum urgentium, aliarumque circumstantiarum. Quamvis autem vulnera Ventriculi semper judicentur periculosa, attamen plurimis constat exemplis, illa non absolute lethalia esse, hujusmodi singularis casus & mirabilis admodum historiae in Actis Anglicanis conscriptae mentionem facit celeberr. van Swieten (q), quam verbotenus coronidis loco hic apponere liceat: *Maurus juvenis (inquit) maturos Muscae fructus decerpit, & avide comedit: virricus ejus ira furens, ut hoc ulcisceretur, cultro magnum vulnus abdomini juvenis infligit, & lata plaga Ventriculum sic discindit, ut comesti fructus cum impetu per vulnus erumperent. Peracto hoc facinore, dum amici vulnerati insequerentur, senex sibi ipsi Ventriculum simili fere vulnere lacerat. Post quatuor horas Chirurgus veniens utrique vulnerato & Ventriculum & integumenta abdominis discissa consuit, parvo foramine relicto, ut puri exituro pateret via. Febre corripuntur ambo vulnerati, quae per quatuordecim dies durabat, & mensis circiter spatium juvenis convaleuit; senex, sexagesimum aetatis annum agens, magis periclitabatur, & tardius curatus fuit. Uterque tamen, post quindecim à curato vulnere annos, integra sanitate fruebatur.*

(q) Commentar. in Boerhaav. Aphorism. pract. Tom. I. §. 170. 5.

T A N T U M.



(q) Boerhaav. Aphorism. pract. §. 170. 5.